

Dei insitam seu connatam & acquisitam. Insita seu connata  
rursus non unô modô ab Autoribus explicatur: quidam enim  
intelligunt eam h. m. quod in ipsâ hominis nativitate intel-  
lectui hominis inferatur notitia hujus propositionis: *Deus  
est*, sitque ea menti actu quasi inscripta. Verùm hæc senten-  
tia dudum explosa est & ostensum nullas dari hujusmodi  
notitias connatas, unde Aristot. lib. 3. de anim. eleganter di-  
sputat: Animam seu intellectum esse instar nudæ tabulæ, cui  
nihil sit actu inscriptum, quidvis autem inscribi posse. Alii  
verò notitiam innatam Dei seu insitam dicunt, non quod  
actu statim in principiô nativitatis insit & cum ipsâ naturâ  
ejus incipiat, sed quod potestate insit & quidem potentiâ  
proximâ, ita ut statim cum ratio sese exercere incipit, pro-  
positionis hujus, *Deus est*, veritatem deprehendat sine di-  
scursu ulteriori, & ita dicuntur aliàs principia nobiscum  
nata prima. Interim tamen difficile est probare dari talem  
insitam seu connatam DEI notitiam, & quidem difficul-  
tas provenit ex hõc, quod DEUS non cadat sub sensum  
vel sub naturalem mentis cognitionem, nisi quatenus ex  
creatione cognoscitur. Est enim Deus Spiritus simplicissi-  
mus, & impossibile est, ut humana ratio penetret ejus cog-  
nitionem, nisi ex effectibus; at verò omnis cognitio, quâ ex ef-  
fectu præcognitô cognosco causam, nititur discursu & est ac-  
quisita, non connata. In hõc enim opponuntur notitia con-  
nata & acquisita, quod notitia connata seu insita insit intel-  
lectui sine discursu; acquisita verò nitatur discursu, & in-  
terventu rationum seu probationum hominis studiô acqui-  
renda est. Hoc quidem verum est, quod quando homo audit  
hanc propositionem, DEUS EST, statim ei assentiatur sine  
discursu, sed de hõc dubitari potest, utrum assentiatur huic  
propositioni propter suam evidentiam, an verò quod à Pa-  
rentibus vel Præceptoribus suis ita à juventute suâ ita sit in-  
stitu-